

III.

NEOVIDENSIS.

Nro 4. (*Neovidensis Nro 27.*)

Secretum litterarum comercium vivos inter,
ac mortuos.

DEÆ HISTORIARUM.

Inscriptum a meo Parnasso 80 gradus alto.

Diē Veneris 13. Aprilis 1804. (*Neovid. 30. Martii.*)

Sapientissimæ Dominæ venerabundus significo, honori tuo, præstantiæ, atque pulchritudini offundendas esse tenebras, nisi malum, quod invalescit, præcaveris. Nota tibi sunt, non dubito, illa eruditæ Reipublicæ insecta, quæ rerum novarum scriptores, Nuncii, Mercurii, immo etiam elegantes (salva venia) Domini vocitantur. In horum societate sæpius jam accessi Parnassum, ut vel unam lagenulam ex celebri castalio fonte haurire liceret, atque ad te eluctari, sed frustra. Eapropter convertimus nos ad tuam formosam cubiculariam, donavimus ei pigmenta, & mundum muliebrem recentissimi moris, ut voti damnaremur. Annuit illa nostris desideriiis.

Die quadam summo mane ad primam auroram Fortunæ præsto fuimus omnes præstolantes erectis in montem oculis. Pedisequa comparuit in cacumine montis, & quasi nos non observasset, perfudit copioso liquore, quem avidi lambebamus. Sed quid erat? pudet dicere — aqua ex lotione manuum collecta, & forte etiam aliud aliquid — Hoc profecto erat indignum.

Commoti hac offensa, conclusimus unitis viribus expugnare fontem Castalium. Sed eheu! immanis Draco custodiebat illum. Hic patefactis faucibus, quinam essemus, seiscitabatur. Facile est conjicere, in quas hæc interrogatio nos redegerit angustias; Nihil hic profecit sive elegantia, sive jocus. Eminus tantum exhibuimus litteras liberi commeatus. Estis vetitæ merces, reposuit alatus serpens, jamque nos absorpturus erat, nisi cubicularia accurrisset, & Draconem mitigasset: Care Draco! inquebat illa, Quid vis miseris istis homuncionibus? non sunt digni tuo stomacho, tantam illi copiam chartæ conscripserunt, consumseruntque, ut eos tuus stomachus digerere certe non posset. Aequè mihi, ac tibi constat, non esse illis integrum adire territorium Historiarum; Mendacia, quæ spargunt, sunt innocua, unicuique enim perspicuum est, quid denotent, inde natum proverbium: mentitur veluti Ephemerides. Sed etiam Illustris Nostra Domina variis ex rationibus (probabilius accepta dona intellexerit) huc me misit, jussitque hos miseros absque

omni detrimento liberos abire : Denique adfero illis vera nova ex Parisino Monitore ; Gravissime illi hic perstringuntur , quod annuntiaverint bellum , itinera militum , & plures alias ineptias . Draco conquievit , & nos occupabamur sequenti lectione Parisiis 26. Martii vulgata .

Omnes Anglorum factiones ad nihilum recidere . Omni licet conatu non valebant efficere , ut in continente quies turbaretur . Quod ut suplerent , res novas sed a veritate alienas quaquaversum per Europam disseminarunt , suo videlicet ære intertenebant in diversis Civitatibus commercium litterarum cum rerum novarum scriptoribus , qui , quæ sequuntur , latissime divulgantur .

Vindobona : Copiæ Gallicæ iter maturant in Italiam : 40 earum millia ad fluvium Athesim congregantur .

Constantinopoli : Classis Gallica cum exercitu excensionem facturo progreditur in Moream , & Aegyptum ; Copiosus miles jam consistit ad Tarentum .

Berolino : Triginta millia Gallorum in Ducata Cliviensi societatem bellicam initura sunt .

Ex Dania : Novus 40 millium exercitus properat Hanoveram , ut Holsatiam aggrediatur , & fretum intercludat .

Parisiis : Turcæ Moream tenent , eosque faciunt apparatus , ut italicum Gallorum exercitum in stativis adoriantur : In mari nigro classis Russorum parata stat ad transeundum

in mare mediterraneum, ut adjuvet machinationes Turcarum. Pars copiarum Austriacarum se in Sveviam infundit, pars in Tyrolim. In Polonia indicta sunt castra, in quibus militia Russica, & Prussica se uniet, profectura ad eliberandum Ducatum Hanoveranum.

Hæc omnia eo proposito sparsa sunt, ut nemo dubitet novo iterum bello totam Europam involutum iri. Verum ex animo compatimur Angliæ: nullæ Gallorum copię superarunt montes; ex Helvetia omneseductæ sunt, quod imminente bello nequaquam fit. Nullus novus miles in Regnum Neapolitanum pedem intulit, nullus in Ducatum Hanoveranum; contra, sex legiones hinc domum reverterunt. Turcarum Imperator non alios facit in Morea ordines, quam qui ad conservandam securitatem internam, & refroenandam quorundam Præfectorum audaciam necessarii videntur.

Russiæ non venit in mentem castra metari in Polonia, neque aliud in mari nigro apparat, nisi quod omnes bene constitutæ civitates facere consueverunt, ut semper fortem, exercitatumque habeant militem. Rex Prussiæ ideo convocat legiones, ut easdem more consueto lustret, expleat, & exercitiis militaribus obfirmet. Romanorum Imperator unam alteramve cohortem loco movet, at cuique liquet id fieri ob negotia Ordinis Teutonici, quæ nunc jam plene composita sunt.

Omnes itaque istæ imposturæ adscribendæ sunt scribis, quos Britannia in continente quasi totidem naves incendiarias alit. Tametsi autem hos rumores & Imperium Gallicum, & Aula Viennensis, & Petropolitana sollicite curent refutari, quia tamen horum pecunia corruptorum Scribillatorum ingens est versutia, præmonemus omnes commercium exercentes, amicosque humani generis, ut sibi ab hujusmodi stoliditatibus diligenter caveant. Insigne monitum pro omnibus Ephe-meridum compilatoribus!

Idem Monitor vellicat etiam Anglos in hunc sensum: Madrito de 10 Martii: Frerius Anglicanus in Aula Madritensi legatus auditis rumoribus Parisinis videbatur multum consternari, idem tamen paucos ante dies in colloquio cum Principe pacis habito quasi oblitus sui asseveravit, justum esse inferendum per sicarios homicidium in præsentibus Angliæ circumstantiis, ut omni metu relevetur.

At Princeps pacis eidem intrepide reposuit: si idem principium Gallia adoptaret, Nationibus non cum classibus, & exercitibus, sed cum sicariis bellandum foret. Non possum me continere, quin aperte pronunciem, hanc Ethicam Suæ Majestati Catholicæ indignationem parituram. Quod me attinet, asseveranter testificor, omnium temporum exempla docere, talia tela in auctorum caput recidissee.

Quam in rem hæc est observatio Monitoris: Quod Princeps pacis affirmavit, com-

probatum est, hoc enim momento, quo Anglia Comite Artesiæ tanquam sicario usa est, unus ex ejus familia in remunerationem delicti gladio perivit. Vide sis priorum temporum Episcopo Atrebatensis pessimum tuorum consiliorum exitum!

Comes Kobenzel, Marchio Luchesini, Legati Electoris Badensis, Virtembergici, & Bavarici. Item Rerumpublicarum Helveticæ, Liguricæ, Luccensis, Sanctissimi Papæ, & Hollandorum per Ministrum negotiorum externorum declararunt Primo Consuli gravem suorum Imperantium indignationem, qua erant commoti audientes tam impia cudi consilia contra Imperium Gallicanum, addideruntque eosdem dilucide perspicere, inde dependere totius Europæ pacem, si nullæ turbæ, nullæ discordiæ fuerint in Galliis ortæ.

Lubet scire, quam terribili cum rabie bellum gerat Anglia? Legantur Nova Parisina (Journal de Paris) Dunquerca de 8 Martii. Supremus rei maritimæ in hoc portu Præfectus ita præmunit adversus infortunia Portus Gallicos: Nunciatum nobis est, hostes nostros Anglos hoc infandum cepisse consilium, ut 600 vel 700 fascès lanæ, peste infectæ ad nostras transponant oras: intendunt nos, totumque exercitum peste interimere. Quapropter nemo ausit ullas merces ex navibus, quæ forte se naufragium passas simularent, suscipere, & ad littora exponere, donec fuerint hæc omnia probe explorata. Inprimis attendendum est illis mercibus, quæ ex lana, gossy-

pio,
con

fluu
ades
litter
fiden
Reru
ritat

quib

la

Con

vi

pr

fl

Pu

Fe

i

Frag

8.

Histo

g

Pütte

m

Laza

R

de

Fl

pio, & canabibus constant, atque in fascēs compositæ sunt.

Ex omnibus his refutationibus sequentia fluunt documenta. 1. In continente nullum adesse metum belli. 2. Falsum commercium litterarum tractantibus nullam esse habendam fidem ab iis, qui Ephemerides scribunt. 3. Rerum novarum commentariis non inesse veritatem Evangelicam.

Hæc sunt Illustris Dea Historiarum, de quibus te hodie certiozem reddere volui. Vale.

In eadem hac Officina Belnayana sequentes quoque libri profant:

Concordatum, & Collectio Bullarum, ac Brevium SS. P. N. Pii VII. Pont. M. super statu præsentis Ecclesiæ Gallicanæ; Decretum de constituendis novis Archi-Episcopis, & Episcopis, Publicatio Jubilæi, & Indultum de reducendis Festis. 8. compact. 51 xr. in charta elegante 1 fl. 12 xr.

Fragmenta ad Historiam Ecclesiasticam Hungariæ. 8. 27 xr. in charta scriptoria 36 xr.

Historia litterarum bonarumque Artium in Hungaria. 8. 40 xr.

Pütteri, Synopsis Historiæ Imperii Romano-Germanici. 8. maj. 45 xr.

Lazari Somssich de Sárd Carmen ad Ludovicum Rhédei de Kiss Rhéde &c. pro Militaris Academiæ in Hungaria Fundatione Decem Millia Flor. donantem. 4. 7 xr. in charta Velin 20 xr.

Versuch über die beste Art die Jugend in den Wahrheiten der Religion zu unterweisen. Aus den hinterlassenen Schriften des sel. Abtes von Sagan, und Domprobstes zu Preßburg, Ign. v. Felbiger. 8 8 fr.

Keresztényi oktatás a' Bütsúkról. 8. 12 xr.

Meiners' Oktatása, miképpen kellesek az Ifjakkal halzonnal dolgozni, kivált magokat az olvasásban kifejlesztésben és írásban gyakorolni. Fordította és az Ifjakkal leg-szükségesebb Könyvek' Esméretével meg. bővítette Kis Janos. 8. kötve 24 xr.

Knigge, Az Emberrekkel való Társalkodásról, vagy mi épen kellessék minden rend béle emberekhez magunkat úgy alkalmaztatnunk, hogy a' világban boldogulhassunk. Szabadan fordította Kis Janos. 8. kötve 1 fl. 12 xr.

Opere postume del Sig. Ab. Pietro Metaffasio Tom. III. 12. 3 fl.

Com. Antonii Moysis Cziráky de Dienes - Falva, Ordo Historiæ Juris civilis Hungarici. Compact. 8. maj. 1 fl. 15 kr.

Modly, Liber precum Sacrarum pro studiosa Juventute editus. 12. 30 xr. in cruda.

Denis, Mich., litterarischer Nachlass. Herausgegeben von Jos. Freyherrn von Retzer. 2 Bände 4. 7 fl.

Gebhardi, L. A., Geschichte des Reichs Hungarn, 3 Theile. gr. 8. 1802. 3 fl. 15 fr.

Archenholz, Gustav Wasa, oder Geschichte des Reichs Schweden, 2 Theile, mit Kupferu. 1802. 1 fl. 36 fr.